




CARMINA GRATULATORIA
In honorem nuptiarum

Reverendi, Doctißimi ac humanißimi VIRI,

DN. M. IOHANNIS NICOLAI FERBERI,

Ecclesiæ Wangerinensis pastoris dignissimi,

SPONSI

ET

Pudicißimæ Virginis

ELISABETHÆ,

VIRI Clarißimi, Prudentißimi & Consultißimi


Dn. MICHAELIS FRANCKEN/
quondam Illustrium Archidicasteriorum
Pomeraniæ Advocati & Reipub. Sedinensium
Senatoris, relictæ filiæ,

SPONSÆ,

Scripta
ab
AMICIS.



STETINI, EXCUDEBANTUR LITERIS GEORGII GOETSCHII, Anno 1629.



VNius uxoris Mystam jubet esse Maritum
Paulus, at hunc illam tangere Papa vetat.
Utri assentiris? tibi certè Oracula Pauli,
Sponse, placere magis, req; fideq; probas.
Et rectè; Quis enim dubitet postponere nugas
Vani Hominis, Sacri Flaminis eloquio?
Credere perge DEO, sis castus, Mysta, maritus,
Pasce gregem, fugito scandala, salvus eris.

M. JOACHIMUS PRÆTORIUS
Ecclesiastes & Professor illustris
Pædagogij.

SPonsi candidulis genis venusti,
Sponsi molliculis genis tenelli
Ut ludunt! tacitis caléntne flammis?
Quidni! quîs tener ignis usq; & usq;,
Usq; & mollibus ardet in medullis,
Usq; & fulgidulis micat favillis.
Nos læti Cyprios dolos jocosq;
Quos lingvis jaciunt vagisq; ocellis
Quos miscent, lepido feruntq; gestu
Spectamus, simul & monemus: ite
Sponsi in gaudia, mutuos fovete,

Risus, blandidulum movete murmur,
Cunctis læticiam probate vestram.
Nil non eximios ferat lepores,
Nos Jovam interea precamur omnes,
Fata ut Conjugium vehant secunda;
Ut proles numerosa, vita longa,
Et pax perpetuos colens amores
Sponsos exhilaret, beet, juvetq;

Testandæ veræ amicitiæ
causâ fecit.

M. MARTINUS LEUSCHNERUS,
Ducal. Gym. Rector & Philosoph.
Professor.

V*Elle maritali vinciri aut nolle capistro,*
Humano nunquam pendet ab arbitrio.
Fata regũt homines, fato junguntur amãtes;
Omnia sunt fatis subdita; fata regunt.
Fata reluctantes vincunt, & pectora flectunt:
Quæ faciẽda, docent; quæ fugienda, monent.
Sæpius incautum peregrinas ducere ad oras
Fata solent, magnum per mare fata trahunt.
Nonnè peregrinâ Sacram regione Tobias
Cœlesti Genio concomitate capit?

Exem.

Exemplar vivum nobis es, docte Magister,
Quem fata huc patrijs usq; tulere focis.
Patria te primùm teneris eduxit ab annis,
Primaq; virtutum semina larga dedit,
Leucoris alma tuum studium promovit & auxit,
Thêiologum regio te Pomerana facit.
Sic te fata trahunt; ferit hic tibi pectus ab alto
Cypridos ille puer, complet & igne novo:
Franci genæ ut magno flagres in amore puellæ,
Quam sociam lecti poscis habere tui.
Non fuit illa prius tibi cognita dulcis Amice,
Nec tamen ulla mora est jungitur illa tibi.
Tanta est vis fati; tanta est moderatio fati,
Nil fato totus certius orbis habet.
Ergo piam, Ferbere, tuam nunc accipe Sponsam.
Quam pia præ reliquis fata dedêre tibi.
Moribus est placidis, virtutibus aucta, modesta:
In facie casti signa pudoris habet.
Virgo viro tali, tali vir virgine dignus:
Connubio stabili vos pia fata ligent.

Amoris & honoris ergò
scribebat

PETRUS NEOMARCUS, P. L.
Illustrium Archidicasteriorum Pomeraniæ Advocatus & Reipub. Sedinensium Scabinus.

AD veteres miſit tua te, FERBERE, Sedinos
Argyrope, clarus te dans genitoribus ortum;
Miſit, at infauſto nequaquam ſidere miſit.
Spe citiùs gemini tibi namq; parantur honores:
Paſtor ſiſtéris templo, domuiq; maritus.
Num natale ſolum (dic) num Pomeranidos oræ
Munera contribuiſſe tibi majora videntur?
Pluribus hæc agerem tecum, niſi rumpere cœptam
Me telam facerent operarum munia nota,
Oblatæq; frequens interpellatio chartæ,
Quâ pubes mentem mihi, ſenſaq; turbat in horas.
Votô claudo brevi, ſortem gratatus utramq;
Te Paſtore, precor, grex cœlica pabula carpat;
Teq; Parente torus felicia pignora promat.

'Εὐνοίας ἕνεκα ἔγ.

M. HEINRICUS KIELMANNUS,
Gr. L. & Poëſ. Prof. & ConR. in
Duc. Pædag. Stet.

COnjugium eſt Schola ſacra crucis Rectore Jehovâ.
Diſcipuli hîc duo ſunt, fœmina juncta mari.
Præceptor Deus eſt, qui cuilibet imperat, idemq;
Exigit à quovis penſa ſtatuta Crucis.

Hanc

Hanc quia discipulus cum Sponsâ docte Magister
Ingrederis, quid ages? Hoc age, disce pati.
Dum sua Vir peragit, patitur: patiendo laborat
Fœmina, Sponse feras, quæ patienda viris.
At Tu proficias geminâ Elisabetha quotannis
Prole. Ita conjugium fit schola sacra crucis.

Sponsis novellis συγχαίρων fac.

M. SIMON URSINUS
Ducal. Pædag. Profess.

NUnc armatus adest, nunc dira ad prælia quivis [natur,
Currit, & ense ferox, ignemq; necemq; mi-
Nunc turmas urget sua per taratantara Mavors,
Cinctus romphæâ canit arma, & spicula vibrat,
Tàm contra afflictos quàm lætos dirigit hastas,
Nil nisi bellorum motus nunc undiq; gliscunt!
At Charites aliud motantq; rotantq; duellum,
Cuî svavi applaudunt cantu simulacra Deorum,
Cuî Venus alma favet, Phœbi & ter trina propago,
Et cuî lætus adest Hymen, & blandissima Juno;
Optatam quare vegetanti corpore mentem
Indue, & i subitò quò Te Tua Nymphula ducit,
Injice fraternum, quod poscit Sponsula, telum, &

Queîs

Queîs premit Elisabetha Tuas, cape basia, malas,
SPONSE, ita non raris stabit FERBERICA ramis
ARBOR, sed crescent Tibi GERMINA grata
quotannis,
GERMINA, queîs cordis poteris lenire dolorem.
Hæc precor: At Deûs alme meis benedicito
Votis.

Sic bonæ Scævæ ergò cum novis
nuptis ludebat

JONATHAS HARTWIGIUS
Stolpa-Pomer.

FINIS.





